

inscriptiones in cuneiformibus ab Assyriologis perlectae deinceps inventae fuerint in alia scriptura et lingua notiore, quae praecedentis interpretationis veritatem confirmavit; atque ita tandem factum est ut omnibus persuaderetur clavim scripturae cuneiformis vere inventam fuisse: quamvis non omnes difficultates et obscuritates adhuc removeri poterint. Grammaticae etiam linguae Assyriacae vulgatae sunt, in quibus tum lectio scripturae cuneiformis, tum lingua in iis expressa secundum certa principia et accuratam methodum explicatur (1). Systema scripturae cuneiformis Assyriacae (2) ad haec revocari potest: 1) scriptura generatim *syllabica* est: pauca signa ideogrammatica; 2) alia signa pro syllabis *simplicibus* (una voc. et una conson.), alia pro syllabis compositis (voc. cum plur. conson.); 3) syllabarum simplicium signa fere sex sunt pro singulis consonantibus prout hae componuntur vel ante vel post tres vocales Assyriacae a, i, u, sic: *ba, ab, bi, ib, bu, ub, ga, ag, gi, ig, gu, ug* etc.; 4) syllabae compositae duobus modis scribi possunt, vel per specialia signa singulis syllabis respondentia, vel eas resolvendo in duas syllabas simplices, repetita scilicet vocali: ita duae syllabae vocis *napsat* (anima) exprimi possunt vel duobus propriis signis, vel syllabis resolutis in quatuor *na + ap + sa + at*. Numerus signorum syllablicorum ingens est; 5) plura signa variis syllabis respondere possunt ideoque *polyphona* vocantur: ambiguitas inde orta est una ex maximis difficultatibus in lectione inscriptionum; 6) extant quaedam signa quae legenda non sunt, sed tantum ad ideam determinandam apponuntur, et *determinativa* vocantur (ut in hieroglyphicis): ita cuneus verticalis nomini praefixum si-

(1) Praecipuae ex his sunt sequentes: J. Oppert: *Grammaire Assyrienne 2^m* ed. Paris 1867; J. Ménant: *Le syllabaire Assyrien*. Paris 1869-72; eiusdem: *Leçons d'épigraphie Assyrienne*. Paris 1874; E. Schrader: *Die Assyrisch-Babylonischen Keilschriften*. Leipzig 1872; Sayce: *Assyrian grammar*. London 1872. Pro cuneiformibus vero non Semiticis videri possunt: Norris: *Memoir on the Scythic version of the Behistoun inscription* (in *Journal of the Royal Asiatic Society* vol. XV, part. I). Lenormant: *Études accadiens*, Paris 1872.

(2) Desumpsimus haec fere ex Cl. Maspero *Histoire ancienne des peuples de l'Orient*. Ed. 3 Paris 1878 Chap. XV. *Les écritures du monde Oriental*, ubi etiam reperies syllabarium Assyriacum propriis signis expressum pag. 574-582, et specimen lectionis cum interpretatione pag. 583 seq.

gnificat illud esse nomen humanum; tres cunei aculeis coniuncti (fere ad modum stellae) indicant vocem sequentem esse nomen regionis et ita porro; 7) demum quaedam signa phonetica non sunt, sed vera *ideogrammata*.

Haec satis sint de novis inventis in Palestina, Aegypto et Assyria, quibus tum historia, tum archaeologia Biblica magnaopere adjuvari atque illustrari possunt (4) atque inter eius fontes merito numerantur.

IV. Ad partitionem tractationis quod attinet, sequemur consuetam divisionem in antiquitates sacras, civiles, et domesticae, praemissa tamen brevi expositione geographiae et chronologiae biblicae. Erunt igitur quatuor tractationis partes, seu Sectiones I De *Geographia* et *Chronologia* biblica; II De *biblicis antiquitatibus sacris*; III De *antiquitatibus politicis*; IV De *antiquitatibus domesticis* in quantum S. Scripturae interpretandae inservire possunt.

SECTIO I.

DE GEOGRAPHIA ET CHRONOLOGIA BIBLICA

Vere aiebat Varro geographiam, et chronologiam habendas esse veluti duos historiae oculos, sine quibus scilicet rerum praeteritarum narratio nec recte intelligi, nec probe aestimari potest. Idipsum de archaeologia dicendum est: nam sine accurata regionum ac locorum notitia, et sine exacta temporum divisione vetusta monumenta quasi muta iacerent, nec ad historiam illustrandam utiliter adhiberi possent. De biblica igitur Archaeologia dictum oportet ut pauca praemittamus de *Biblica Geographia*, quae quasi theatrum eventuum in Scripturis narratorum sub oculos ponit, et de

(1) Ceterum non defuerunt docti viri, qui notitias iam comparatas in hunc usum converterent: inter hos laudari possunt saepius memorati Maspero, Chabas, Rawlinson, Robiou pro historia populorum Orientalium in genere, in specie vero pro historia et Archaeologia biblica F. Vigouroux Presb. S. Sulpitii in insigni opere cui titulus: *La Bible, et les découvertes modernes en Palestine, en Égypte et en Assyrie* etc. 3 Voll. 2^m edit. Paris 1879 in quo opere (ut doctus criticus Allemannus animadvertit) nihil lectori desiderandum relinquitur nisi eius continuatio: siquidem auctor non ultra libros Regum et aetatem Salomonis progressus erat. Nuper tamen (1884) quartum volumen editum votis omnium satisfecit.

Biblica Chronologia, quae docet varias aetates atque epochas distinguere, ad quas singula facta pertinent (1). De utraque breviter distinctis capitibus agemus.

CAPUT I.

DE GEOGRAPHIA BIBLICA (2)

Geographia biblica est « Descriptio illarum regionum et locorum, de quibus in Scripturis Veteris et Novi Testamenti fit mentio, imprimis vero Palaestinae seu terrae sanctae. » Hinc patet ad biblicam geographiam pertinere 1^o praecipue Palaestinae descriptionem, 2^o descriptionem vicinarum etiam regionum de quibus saepissime sacrae literae loquuntur. Rursum descriptio regionum iuxta rei naturam, et geographorum usum complectitur tum physicam locorum descriptionem, quam geographiam physicam vocant, tum populorum et urbium ac provinciarum notitiam quae geographia politica dicitur. Haec igitur breviter exponemus, praemissis tamen nonnullis generalibus notionibus ad faciliorem rerum intelligentiam.

(1) De Geographiae biblicae utilitate ad S. Scripturae intelligentiam ita scribit S. Hieronymus: « Quomodo Graecorum historias magis intelligent, qui Athenas viderint, et tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leucateam, et Aeoceranniam ad Siciliam, et inde ad Ostia Tiberis navigaverint: ita sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Iudaeam oculis contemplatus sit, et antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde et nobis curae fuit eum eruditissimis Hebraeorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam, quam universae Christi Ecclesiae sonant » (Praefatio altera in Lib. Paral.).

(2) Auctores consulendi pro geographia biblica sunt potissimum sequentes. Ex antiquioribus S. Hieronymus *Lib. de locis hebraicis* seu *Onomasticon* Eusebii a Hieronymo in latinum conversum (Hoc opus seorsim editum fuit cum additamentis a I. Bonfrerio); A. Rolandus: *Palaestina ex monumentis veteribus illustrata* Vol. 2. Traiecti Batav. 1714 (habetur etiam in *Thesouro Ugolini* to. V); ex recentioribus vero et recentissimis Gueria, Mislin, Gratz, Robinson, Stanley, Potter, Van de Velde, Menke alique, quorum opera vel superius laudavimus, vel infra laudaturi sumus.

ARTICULUS I.

NOTIONES PRAELIMINARES GEOGRAPHIAE BIBLICAE

Notiones geographicae apud priscos Hebraeos, ut plus minus apud alias vetustas gentes, satis imperfectae erant, eaeque prae oculis habendae sunt ad recte intelligendas eas loquendi formas, quae ad regionum situm, distantiam et appellationem referuntur. Generalis conceptus telluris apud antiquos hic erat: tellus veluti immensa planities concipiebatur, super quam coelum quasi tentorium expansum esset, subter autem abyssus, seu favea caliginis et tenebrarum sedes. Quamvis regiones trium continentium antiqui orbis Hebraeis notae essent, divisio tamen et nomina Asiae, Africae et Europae nunquam in Scripturis occurrunt: ubi enim in N. T. praesertim in Actis Apostolorum, *Asia* nominatur non intelligitur de toto continente, sed speciatim de parva provincia Asiae minoris, quae a Romanis proconsulibus administrata vocata fuit *Asia proconsularis*. Quatuor puncta cardinalia ad locorum positionem determinandam procul dubio ab Hebraeis adhibita sunt, et in Scripturis passim nominantur; observandum tamen est 1^o puncta intermedia quae a nobis distingui, et numerari accurate solent ab Hebraeis vel neglecta fuisse, vel saltem nullam de his mentionem in Scripturis factam esse: hinc appellationes Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies ad loca designanda saepe accuratae non sunt sed tantum approximativae, ut cum Chaldaei dicuntur ex *Septentrione* descendere, vel Arabes dicuntur *Orientalis*. 2^o In ordine quatuor mundi plagarum Hebraei a nobis differebant in hoc quod nos conversa ad septentrionem facie computamus Orientem ad dexteram, Occidentem ad sinistram, et ad dorsum meridiem, Hebraei contra facie ad Orientem conversa meridiem ad dextram habebant, et *dextram* (דְּיָמָם, תְּיָמָם) aliquando appellabant, Septentrionem ad *sinistram*, quo etiam nomine (שְׂמאל) eam plagam aliquando designabant, Occidentem pone dorsum, quare etiam aliquando per vocem אַחֲרָי, seu *retro*, eum indicant, Orientem demum per קִדְמָי, seu partem *anterior*em.

Cum magnum oceanum nunquam in Scripturis nominetur,

quoties simpliciter *mare*, vel *mare magnum* nominatur intelligendum est mare mediterraneum. Rursus vox ista *mare* (ים) in utroque testamento saepe accipitur etiam pro maiore vel minore collectione aquae dulcis, hinc *mare Galilaeae* non est nisi lacus Tiberiadis, et *mare salis*, quod etiam nos *mare mortuum* dicimus, nihil aliud est quam lacus Asphaltites in quem Iordanes atque minora flumina influunt. *Insulae maris*, seu, *insulae quae procul sunt* (Is. LXVI, 19, Eccli. XLVII, 17, Ps. LXXI, 10) designant generatim tum insulas, tum peninsulas maris mediterranei, ad quas alludit Moyses Gen. X, 5 ubi de filiis Iaphet, et imprimis de Iavan eiusque filiis ait: « Ab his divisae sunt *insulae gentium* in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam, et familias suas in nationibus suis. »

Hic supponimus elementares notiones geographiae astronomicae, physicae et politicae, et ea tantum indicamus quae regionibus biblicis propria sunt, et ad Scripturae intelligentiam speciatim pertinent. Primo autem dicemus de regionibus Palaestinae vicinis in Scriptura memoratis, deinde vero, et praecipue de regione Palaestinae. De Asia minore et Europae Orientalis regionibus quae in N. T. nominantur occasione praedicationis Apostolicae et praesertim itinerum S. Pauli, brevitatis causa nihil dicemus, cum haec satis nota sint ex studio geographiae civilis (1).

ARTICULUS II.

DE REGIONIBUS AC POPULIS PALESTINAE VICINIS

Regiones Palaestinae finitimae vel vicinae sunt sequentes: *Phoenice*, et *Syria* (seu *Aram*) ad Septentrionem, *Assyria*, *Mesopotamia* et *Babylonia* seu *Chaldaea*, *Media*, *Persia*, *Susiana*, et *Elymais* ad Orientem, *Arabia* partim ad Orientem, partim ad Austrum, denique *Aegyptus* et *Aethiopia* pariter ad Austrum. De singulis breviter.

1° *Phoenice* est parva regio iuxta mare mediterraneum ad Se-

(1) Nihil tamen minus in fine dabimus chartam geographicam totius Asiae citerioris, cum finitimis regionibus Europae et Africae Orientalis, quae primum locum tenebit, alias duas chartas addamus pro Palaestina eiusque vicinis secundum varias eius epochas, et divisiones politicas.

ptentrionem Palaestinae sita, et olim a gente phoenicia ob navigationem, commercia et artes celeberrima inhabitata. Protenditur a fluvio Eleuthero 34° et 26', latid. septentrion. usque ad Acco, seu Ptolemaidem. Eius urbes longe celeberrimae erant *Tyrus*, hebraice צור (Rupes, seu Arx) et *Sidon* hebr. צידון, ambae ad mare mediterraneum sitae. *Sidon* a Iosue *civitas magna* appellata (Ios. XI, 8, XIX, 28) et ab Homero celebrata (Iliad. VI, 28, 29, Odiss. XV, 415 seqq.) originem suam et nomen debet Sidoni filio Chanaan Gen. X, 15, 19, XLIX, 13. Sub Artaxerxe Ocho rege Persarum haec urbs perit incendio ab ipsis civibus excitato ne in manus victoris inciderent. Postea vero reaedificata est, sed nunquam ad pristinum splendorem rediit, nunc vero nihil aliud est nisi exiguus et humilis pagus. *Tyrus* ad meridiem Sidonis sita est, et suos reges a regibus Sidonis distinctos habuit. Ex his Hiram amicus fuit Davidis, et Salomonis, quem etiam adiuvit in aedificatione templi Hierosolymae et palatii (3 Reg. V, VI). Nabuchodonosor post tresdecim annorum obsidionem urbem coepit et solo aequavit, sed incolae exinde profecti cum thesauris suis in insulam litori vicinam migrarunt, ibique novam urbem extruxerunt quae *nova Tyrus* dicta est, dum *palaea Tyrus*, seq. vetus Tyrus, vocatus est pagus quae supra antiquae urbis ruinas aedificatus est. Nova Tyrus brevi antiquae gloriae et potentiam superavit, donec ab Alexandro Magno vastata fuit. Ex hac etiam calamitate emergere conata est, sed licet denuo aedificata et aliquam potentiam adepti, pristinum splendorem nunquam recuperavit, quinimo crebris terraemotibus concussa et vastata nunc vix aliud est quam ruderum cumulus, paucis rarisque incolis, prout Isaias, et Ezechiel clare praedixerant (Is. XXIV, Ezech. XXVI). Apud Ezechielem et Isaiam reperitur magnifica descriptio potentiae, splendoris ac divinarum Phoenices. Isaias XXIII praedicens Tyri eversionem exclamat: « Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores principes, institutores eius inclyti terrae? Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terrae. » Ezechiel autem c. XVII sublimi cantico lamentationis effundit super ruinam Tyri, et amplitudinem, varietatem, potentiam ipsius urbis eiusque commercii melius quam quilibet profani scriptores ad vivum depingit. Aliae urbes praeci-

puae Phoenices erant: *Aradus, Biblos, Beritus* (Beiruth): hae omnes maritimae urbes erant. Ex interioribus notanda est *Sarepta* ab Eliae miraculis celebris (3 Reg. XVII). In N. T. Phoenice vocatur modo *partes Tyri et Sidonis*, modo *Syro-Poenicia*, et ex ea regione egressa est mulier quae a Christo sanata est, cuius fidem ipse Dominus laudavit (Matth. XV, 21–28, Mar. VII, 24 seqq.).

II° *Syria*, seu *Aramaea* vel *Aram*, in Scripturis modo strictiori, modo latiori significatione accipitur. Sensu strictiori designat regionem ad Septentrionem Palaestinae sitam a finibus Phoenices usque Euphratem, in qua celebres urbes comprehenduntur Antiochia, Damascus, Hamath, et Aleppo. Saepissime tamen vox *Aram* adhibetur ad vastissimum terrarum tractum a monte Tauro usque ad Damascus et Babyloniam ex una parte, et ex alia a littore maris mediterranei usque ad regionem Assyriae trans Tigrim. Pro variis tamen regionibus varia nomina addita sunt voci *Aram* distinctionis causa. Hinc *Aram-Naharaim* designat Mesopotamiam, quae iterum subdivisa est in *Padan-Aram*, et *Aram Soba*, quarum prima complectitur planitiem maiorem Mesopotamiae, altera regionem Nisibenam, *Aram Beth-Rohob* designat Assyriam proprie dictam, quae alias *Assur* אַשּׁוּר dicitur. Nos de hisce regionibus Aramaeis lato sensu sumptis suis locis sub propriis earum nominibus dicemus. Nunc de *Aram* simpliciter dicta, quae proprie Syria hodie appellatur ab Europaeis, ab Orientalibus vero dicitur *El-Sham* idest regio sinistra quia Arabibus ad Orientem respicientibus, iuxta morem, ad sinistram seu ad Septentrionem facit. Haec definitur ad Septentrionem monte Tauro, ad meridiem Palestina et Arabia deserta, ad Occidentem Phoenicia et mari mediterraneo, ad Orientem flumine Euphrate, et tota concluditur inter 33° et 37° grad. lat. Dividitur Syria a duabus montium catenis quae fere parallelae decurrunt a Septentrione Meridiem versus, et magnam in medio vallem relinquunt, quae a graecis *Coelesyria* (seu Syria cava) appellata est. Catena ad Occidentem sita non procul a mari *Libanus* vel montes Libani vocata est, altera vero magis Orientalis dicta est *Antilibanus*: Hebraei tamen hanc distinctionem non agnoscebant, sed utramque montium seriem vocabant *Libanus* hebr. הַלְבָּנוֹן idest *candidum*, ob perpetuas scilicet nives quibus eius altiora cacumina cooperta sunt: celebres erant hi montes ob copiam pinorum, abietum, et praeci-

puae cedrorum immensae molis, quarum mentio in Scripturis tam frequens occurrit. Syria olim quinque parva regna complectebatur nempe regnum *Damasci* (דַּמָּשְׁק), regnum *Maacha* (מַאֲכָה), regnum *Tob* (טוֹב), regnum *Hemat* (הֶמַּת), et regnum *Geshur* (גֶּשׁוּר) iuxta fluvium Orontem. Urbes principes et celeberrimae erant praeter *Damascum*, et *Antiochiam* in graeca historia notissimas, *Baalbek* postea dicta *Heliopolis*, *Thadmor* a graecis dicta *Palmyra*, quarum ruinae recentius exploratae et in lucem revocatae fuerunt, nec non *Aleppo* in Scripturis *חֵלְבֹן* dicta. Maxima pars Syriae a rege David subiugata fuit, sed iterum excusso iugo suam autonomiam recuperavit, deinceps vero ab Assyriis, postea a Persis, postremo ab Alexandro Magno subacta fuit. Successores Alexandri Magni, quibus Syria in ditionem cecit *Seleucidae* dicti sunt a Seleuco primo rege, qui cum omnibus modis conarentur finitimos Iudaeos ad paganas superstitiones pertrahere a Machabaeis impugnati et coerciti sunt. Tempore Christi Domini et Apostolorum Syria erat provincia Romana cum Antiochia urbe principe, cuius praeses nominatur in Evangelio Luc. II, 2 occasione descriptionis seu census a Caesare Augusto imperati, cuius causa Christus Bethlehemini natus est. Prope Damascus Paulus conversus est, et in ea urbe baptismum suscepit. Antiochia fuit patria S. Lucae Evangelistae, ibique primum Christifideles Christiani appellari coeperunt (Act. XI, 26).

III° *Assyria, Mesopotamia, et Chaldaea*, quae aliquando sub unico Assyriae nomine comprehenduntur ob dominationem scilicet regum Assyriorum longe lateque diffusam, occupant totam vallem Tigris et Euphratis a montibus Armeniae usque ad sinum Persicum, in quem duo illi regales fluvii post longos anfractus in unum convergentes et commixti influunt. Quatenus vero regiones nominatae ab invicem distinguuntur, *Assyria* strictissimo sensu sumpta erat provincia trans Tigrim, cuius caput Ninive in litore orientali Tigris aedificata. Deinceps tamen septem aliis provinciis aucta est, et serius alias atque alias regiones sibi adiunxit usque ad Syriam et Palaestinam efficiens vastissimum et potentissimum imperium Assyriacum. *Mesopotamia* proprie dicta est regio inter Tigrim et Euphratem sita, ut graecum nomen indicat, itemque hebraicum *Aram Naharaim* idest, *Aram duorum fluminum*. Denique *Chaldaea*

seu *Babylonia* proprie dicta iacebat ad Austrum Mesopotamiae, ubi Tigris et Euphrates proximiores sunt plus minus ubi hodierna Bagdad sita est, et pertingebat usque ad sinum persicum. Eius urbs celeberrima erat Babylon in utraque ripa Euphratis aedificata. De his regionibus quae tantam in biblica historia partem habent pauca dicenda sunt.

A *Chaldaea* exordiendum est cum primum in ea regnum fundatum esse Scriptura doceat. Nemrod vir fortis ex stirpe Cham paulo post gentium dispersionem dicitur in terra Sennar, seu Chaldaea regnum fundasse quatuor extractis urbibus *Babylone*, *Arach*, *Achad* et *Chalanne*, deinceps vero ex ea regione egressum fuisse Assur et aedificasse Ninivem aliasque urbes quae regnum Assyriorum constituerunt (Gen. X, 8-12). Chaldaeorum igitur regnum antiquius est regno Assyriorum, et a posteris Cham, non vero a Semitis primitus constitutum, quamvis decurrentibus aetatibus tum lingua semitica in Chaldaea praevaluerit (1). Historia Chaldaeorum multis obscuritatibus involuta est, quod partim ex inopia monumentorum oritur, partim ex vicissitudinibus quibus ea regio subiecta fuit, quae eius historiam cum historia Assyriorum paene confundunt. Ex recentiorum studiis et ex inscriptionibus cuneiformibus nuper repertis desumitur inde a tempore Bournaburiyas I regis Chaldaeorum regnum illud a priori potentia paulatim excidisse, contra vero Assyriorum regnum validius et splendidius evasisse, donec Touklat-Adar I Assyriorum rex Chaldaeam subegit et tributariam reddidit Assyriae XIII Saec. A. C. (2). In hoc statu mansisse videtur Chaldaea per plura saecula, hoc est, donec suam autonomiam recuperavit mortuo Sardanapalo ultimo rege primi imperii Assyriorum. Postea vicissim Nabopalassar Chal-

(1) Vetusti illi Chaldaee habitatores in inscriptionibus vocantur *Aecadiani*, et *Sumirini*, (fortasse erant duo rami eiusdem populi vel stirpis occupantes alter superiorem, alter inferiorem Chaldaeam) eorumque lingua adhuc superest in pluribus inscriptionibus cuneiformibus in Babilonia repertis: est ea lingua funditus diversa a lingua semitica inscriptionum Assyriacarum, et pertinet ad stirpem Turanicam: ex nomine gentis lingua haec a nonnullis Assyriologis dicta est *Sumiriana*, a plerisque vero *Aecadiana* seu *Aecadica*.

(2) V. Ménant: *Annales des Rois de l'Assyrie*. pag. 15 seqq. Rawlinson: *The five great Monarchies*. London 1862-64 to. II, pag. 54-59.

daeorum rex, capta Ninive, totam Assyriam cum Mesopotamia redegit sub Chaldaeorum dominationem (Saec. VII, ante Christum); huius successores reges potentissimi in historia noti sunt, imprimis Nabuchodonosor Nabopalassar filius, a quo Ierusalem capta est, et populus Iudaeorum in Babyloniam captivus abductus. Verum hoc alterum regnum Chaldaeorum non diu stetit, Chaldaea a Cyro subiugata (A. C. 538) in provinciam imperii Persici redacta est, quae postea, everso regno Persarum, Alexandri Magni imperio adiuncta fuit: nunc Turcarum dominationi, quemadmodum vetus Assyria, et Mesopotamia, paret. In Chaldaea Abraham Hebraeorum pater ortum habuit, qui dicitur egressus de *Ur Chaldaeorum* (Gen. XII). Huius urbis vestigia et rudera creduntur recenter inventa prope locum nunc dictum *El-Mugheir*: in inscriptionibus cuneiformibus vocatur *Uru*. Alterius urbis *Eridu* (a Graecis appellatae *Rata*) ruinae inventae et exploratae sunt a Taylor. Urbs *Arach* Gen. X, 10 a Nemrod fundata et a Graecis *Oxyon* dicta creditur fuisse in loco qui nunc *Warka* dicitur in litore Orientali Euphratis, ubi multa monumenta ab Anglis exploratoribus praesertim a Loftus reperta sunt. Alia Chaldaeorum urbs celeberrima fuit *Sippar*, quae in Scripturis *Sepharvaim* vocatur, et a Beroso Περσέβητα fortasse ob ingentem librorum copiam ibi collectam: aliae urbes sub dominatione Graecorum in Babilonia celebres fuerunt *Seleucia* a Seleno Nicatore aedificata, et sui regni sedes principalis constituta; *Ctesiphon* in opposito litore Euphratis, *Apmacia* extracta in loco ubi Euphrates cum Tigri coniungitur, *Sora*, *Is* seu *Aeopolis*, *Hira*, seu *Alexandria*, sitae erant priter in parte meridionali Chaldaee. Ceteris tamen splendidior, et longe celebrior fuit *Babylon* urbs regia, quae in inscriptionibus *Bab-llu* dicitur, in utraque ripa Euphratis inferioris aedificata. Huius urbis magnitudinem, ac splendorem paene incredibilem veteres nobis tradiderunt imprimis Herodotus, Diodorus Siculus, et Strabo, nunc vero ex recentibus explorationibus in situ, ubi olim haec urbs effluerat veterum descriptio confirmata et illustrata est. Moenia urbis per quadrum extracta erant, cuius singula latera centum viginti stadia longitudinis habebant ita ut area urbis 514 chiliometra quadrata occuparet, septuplum circiter hodiernae urbis Parisiorum: in moeniis centum portae aeneae totidem proceris turribus mu-

nitae, quarum vestigia hic illic adhuc apparent. Immensum urbis spatium in quatuor veluti partes divisum erat, campis, villis atque horis interruptas, quae quatuor veluti urbes distinctas constituabant suis nominibus designatas, scilicet *Cutha*, et *Borsippa* in parte superiori, et in parte inferiori proprie dicta *Bab-ilu* subdivisa in duas, idest, in *civitatem regiam* triplici murorum giro circumseptam, et *civitatem populi*, ubi nunc surgit urbs *Hilla* (1). *Borsippa* (*Bar-Sip*) creditur aedificata circa ruinas turris Babelicae, ibique rudera immensae turris seu potius pyramidis reperta sunt cum celebri inscriptione, ex qua colligitur eam fuisse ipsam Babelicam turrim a Nabuchodonosor instauratam (2).

Mesopotamia proprie dicta, uti supra innuimus, iacebat inter Euphraten et Tygrin ad septentrionem Chaldaee, a qua dividebatur ingenti muro, uti nunc Sinarum imperium a Tartaria separatur. In duas autem partes dividebatur quarum altera *Padan-Aram* vel *Seede-Aram* idest campi Aram vocata est, altera vero *Aram-Soda*, quae partes superiores circa Nisibim, et Armeniae quoque hodiernae oram comprehendebat. Partes superiores, praesertim tractus *Ostroenae* et *Mygdoniae* fertilis erat, et pascuis, messibusque abundans, quare etiam *Mesopotamia felix* nonnunquam dicta est: pars inferior planitie constabat plerumque sterili et arenosa, ubi struthiones et onagri vagabantur, ad quos non raro in Scripturis alluditur. *Mesopotamia* nunquam separatam regnum constituit, sed primitus a nomadibus Arabibus, ut videtur, habitata deinceps Assyriorum regno adnexa est, eiusque sortes subiit, nempe primum in Chaldaeorum ditionem, deinceps successive in Persarum, Graecorum et Romanorum potestatem cessit. Praecipuae Mesopotamiae urbes fuerunt: *Charrae*, seu *Haran*, ubi Abraham ex Ur egressus substitit antequam in terram Chanaan proficisceretur: prope hanc urbem exercitus Romanorum sub Crasso trium-

(1) Constant haec tum ex testimonio Herodoti testis oculati qui Babilonem primam inter omnes terrae urbes existimabat (Lib. I, c. 179), Q. Curtii Lib. V, c. 1, (ubi copiose eam describit) Diodori et aliorum, tum ex recentioribus explorationibus superius indicatis.

(2) Nomen semiticum *Borsippa* significat *turris linguarum*, quod confirmat traditionem de identitate eius situs cum situ ac ruinis vetustae turris Babelicae in cuius aedificatione confusio linguarum locum habuit.

viro a Parthis profligatus est, et illic exercitus Iuliani apostatae post cladem se recepit; *Edessa*, *Nisibis*, *Circesium* et *Batnae Sarugi* celebres urbes fuerunt praecipue post epocham Christianam, et suas scholas suosque doctores in historia Ecclesiastica claros habuerunt. Aliae urbes in historia romana satis notae erant *Singara*, *Birta*, *Caene*, *Apamaea* et *Hatra*. Nunc tota haec regio fere deserta est, et rara oppida Turcarum dominationi subsunt.

Assyria, si strictiori sensu accipiatur, regio erat extra Mesopotamiam ad orientem Tigris parvam peninsulam occupans inter Tigrim et utrumque Zabum maiorem et minorem conclusam. Ad orientem terminabatur montibus Zagris, et ad septentrionem a regione hodie Kourdistan dicta, quia a Kourdis habitata. Verum, uti supra innuimus, brevi extra hosce angustos limites egressi Assyrii dominationem suam suasque colonias per vicinas regiones extenderunt, quamvis eorum imperium alios atque alios limites haberit pro variis temporibus, variaque fortuna belli. Initium regni Assyriorum Scriptura repetit ab Assur, qui e regione Sennaar, idest Chaldaea, egressus dicitur fundasse « *Ninivem*, et plateas civitatis, et *Chale*, *Resen* quoque inter *Ninivem* et *Chale*: haec est civitas magna » (Gen. X, 11 et 12). Veteres profani scriptores nobis tradiderunt Ninum et Semiramidem eius uxorem regnum Assyriorum fundasse, eorumque mira gesta narrarunt, quae tamen evidenter fabulosa sunt, et creduntur primum conficta fuisse circa epocham Persarum (1). Vera historia Assyriorum, praeter pauca quae in Scripturis reperiuntur, derivari potest partim ex veterum scriptorum testimoniis simul collatis, partim ex monumentis et inscriptionibus Assyriacis recenter detectis. Itaque primum imperium Assyriorum ab Assur filio Sem exorditur, et initio quidem parvum paullatim viribus et ambitu auctum est. Primi reges sacerdotes partim Aegypti Pharaonibus, partim Chaldaee regibus tributa solvebant, sed eorum successores Assur-Narara, Nabu-Dagan, Assur-Bel-Nisis saeculo XV ante Christum prorsus independentes facti sunt, et Chaldaeorum regum socii, quandoque etiam defensores, donec Tuklat-adar I (circa annum 1270 A. C.) capta Babylone Chaldaee regnum suae ditioni subiecit, et longe lateque per

(1) Vide Maspero op. cit. cap. VII, pag. 276 seqq. Rawlinson op. cit. tom. II pag. 54.

orientem dominari coepit: et hoc dicitur *primum Assyriorum imperium*, quod usque ad Sardanapalum IV duravit, qui ab Arbace Medorum principe, et Belesis Chaldaee praefecto et Persarum satrapis contra eum rebellantibus simul impetitus, et obsidione undequaque cinctus in desperationem actus inter flammis regalis palatii a se excitas perit A. C. saeculo IX. Post casum primi imperii Assyriorum Medi suam autonomiam recuperarunt, Chaldaei vero tum Assyriae tum Babyloniae domini facti sunt. At paulo post *secundum Assyriorum imperium* ortum habuit, cum scilicet Phul, recepta Ninive, et expulsis Chaldaeis, iterum absolutam Assyriorum dominationem restauravit circa annum 788 A. C. Huius secundi imperii reges saepe nominantur in libris Regum, et in Prophetis: Phul in regnum Israel venisse narratur sub regno Manahem, a quo pecuniae vim accepit ad thronum eius tuendum, Teglatpalasar IV, contra eundem Manahem bellum gessit (4 Reg. XV, 8–20) et deinceps Syriam et regiones Israelis vastavit multosque ex regione Galaad, Galilaeae et totam tribum Nephtali in captivitatem abduxit (4 Reg. XVI, 6 seqq.): huius successor Salmanasar IV vocatus etiam Sargon (1) regni Israelis vastationem et excidium complevit (4 Reg. XVII, 4, XVIII, 8 seqq.) et reliquas tribus in Assyriam deportavit. Eius filius Sannacherib tentavit Hierosolymam capere et regnum Iuda evertere sub rege Ezechia, sed divino prodigio ab incepto desistere coactus est (4 Reg. XVIII, 2 Paralip. XXXII, Is. XXXVII). Assarhaddon Sannacheribo successit, et colonias misit in terram Israel, quam rem narrat Scriptura 4 Reg. XVIII. Huic successit Teglatpalasar V, huic Sardanapal, V eius frater, huic denique Assurdanil ultimus Assyriorum rex. Insurrectio Chaldaeorum et Medorum hunc principem vita ac regno privavit, et Ninive destructa est, nec amplius de suis ruinis emerit (A. C. anno 623). Berossus aliique nonnulli profani scriptores hunc principem cum patre Sardanapalo confundunt, hunc vero cum

(1) Identitas Salmanasar et Sargon a praecipuis Assyriologis nunc admittitur ob inscriptiones praesertim quae apud Khorsabad inventae sunt ubi gesta Sargonis referuntur quae sunt eadem cum gestis Salmanasar, et aliquando utroque nomine simul vocatur, ac denique Sannacherib filius Salmanasar Sargonis filius dicitur. Vide hac re F. Robiou in *Appendice a l'histoire ancienne des peuples de l'Orient*, Paris 1864 n. XX.

antiquiore Sardanapalo ita ut simul commisceant finem primi cum fine secundi imperii (1).

Urbes praecipuae Assyriorum fuerunt *Ninive*, quae a profanis scriptoribus *Ninos*, *Nivos*, appellatur, in litore sinistro seu orientali Tigris extracta, item *Chalah* prope pagum hodiernum *Nimrud*, *Elasur* prope locum nunc dictum *Kalah Scerghat*, quarum ruinae recenter exploratae veterum scriptorum narrationes de Assyriorum splendore ac potentia abunde confirmant: ibi enim palatia immensae amplitudinis, templa, turres, pyramides detectae sunt cum fere incredibili copia inscriptionum et operum sculptorum ex marmore, auro, argento, argilla, unde etiam Assyriorum artium peculiaris indoles et perfectio intelligi potest. Ninive in Scripturis vocatur *civitas magna* (Ion. I, 2, II, 2, Iudith I, 3) *itinere trium dierum* (Ion. II, 3). Profani scriptores etiam tradiderunt eam fuisse immensam urbem circuitus 50 vel 60 milliariorum habentem moenia ex coctilibus lateribus extracta, atque ita spissa ut super ea tres currus simul vehi possent. Eius ruinae, ut alias innuimus, iacent sub terrae tumulo quod contra Mossul erigitur, et ad plura millia extenditur a loco dicto *Koyundjik* usque ad locum dictum *Nebiyunus*, ibique ab Anglis exploratoribus detecta fuerunt palatia Regum Assyriorum, cum eorum bibliotheca et plurima alia monumenta. Ruinam Ninive praedixerant Prophetae imprimis Sophonias (II, 13–15) et Nahum (II, III). Ad Orientem Ninive erat Urbs *Gaugamela*, et paulo inferius *Arbela*: inter duas istas urbes est planities, in qua Alexander M. celebrem victoriam retulit in praelio contra Persas quorum regnum everit ac subegit. Ad austrum Ninive in eodem litore sinistro Tigris erat *Sumere*, prope quam vulneratus cecidit Iulianus Apostata pugnans contra Persas, et adhuc inferius erat *Ochis* alias dicta Antiochia. Hae omnes in litore Orientali Tigris sitae erant, seu in Assyria prope dicta. Ceterae urbes in Mesopotamia, Chaldaea et finitimis regionibus quae Assyriorum imperio adnexae fuerunt superius memoratae sunt.

IV. *Media*, seu *Madai* (a Madai filio Iaphet Gen. X, 10), est regio quae iacet ultra Assyriam habens ad Occidentem Assyriam proprie dictam et Armeniam, ad Orientem Hircaniam et Parthiam,

(1) Vide De Sauley: *Chronologie des empires de Ninive, de Babylone et d'Ecbatane*, Ménaut: *Annales des rois de l'Assyrie*.

ad septentrionem mare Caspium, ad meridiem Persiam et Susianam. Strabo illam dividit in duas partes, *Mediam maiorem*, cuius caput erat Ecbatane, et *Mediam minorem* vocatam *Atropatene* ab Atropato Medo qui novum regnum ibi fundavit. Deioces fertur primus fuisse Medorum rex. Postquam Assyriorum regno diu paruisent una cum Chaldaeis adversus Assyrios insurgentes regnum illud everterunt. Exinde Medorum potentia aucta est, et dominatio sese extendit super Persidem, et alias regiones usque ad flumen Halyn: Cyaxares Medorum rex, quem Scriptura (Dan. V, 31) *Darium Medum* appellat, una cum Cyro Persarum rege capta Babylone, Chaldaeorum regnum subvertit. Constituto per Cyrum magno imperio Persarum, Media in provinciam redacta est, sed Medi ut distinctus populus habiti sunt usque ad aetatem multo anteriorem, eorumque mentio fit tum in historia Graeca et Romana, tum in sacris Libris N. T. (Act. II, 9). Mediae metropolis fuit *Ecbatane*, quae in sacro textu vocatur *Ahmetha* אַחַמֶּתָה, nunc autem *Hamdan*, quae septemplexi murorum ambitu cincta erat variis coloribus; ibi scimus publicos regni annales servatos fuisse (Esd. VI, 2). *Gaza* et *Vera* erant praecipuae urbes Mediae minoris, seu Atropatene; Gaza ad lacum Spauto sita erat: alia urbs *Thebarmai* ad occidentem eiusdem lacus fuit patria Zoroastri.

V. *Persia, Susiana, Elymais (Aelam)*.

Persia accipitur ab antiquis in sensu modo latiore, modo strictiore. In sensu latiore comprehendit etiam Susianam et Elymaidem, in sensu strictiore ab utraque distinguitur.

Itaque *Persia*, vel *Persis*, hebraice פָּרְסַי, strictiori sensu accepta limites habebat ad septentrionem Mediam, ad Meridiem partem inferiorem sinus Persici, ad Orientem Carmaniam, et ad Occidentem Susianam. Regio est montana, sed fertilibus vallibus campisque interspersa. Praecipua urbs erat *Persepolis*, quam 25 millia longitudinis habuisse ferunt, et splendida aedificia, imprimis palatium regum Persarum quod ab Alexandro M. flammis devotum fuit: ruinae adhuc conspiciuntur, et a recentioribus archaeologis exploratae et examini subiectae sunt. Ad austrum Persepolis super flumen Araxes sita erat *Pasargada* ubi rex Cyrus diu sedem habuit.

Susiana proprie erat provincia sita inter Persiam stricto sum-

ptam et Babyloniam, habens ad Austrum mare Persicum: nunc dicitur *Chusistan* quod non est nisi corruptio primitivae vocis. Urbs princeps erat *Susa*, hebraice שׁוּשַׁן (*lilium*), aedificata super flumen *Ulai* (a Graecis dictum *Choaspes*) splendore ac divitiis celebris fuit: ibi diu vixit Daniel propheta (Dan. VIII), ibique residebat Assnerus cuius historia in libro Esther narratur (Esther I, 1). *Elymais*, ex hebraico nomine אֵילַם *Aelam*, a Graecis dicta est regio contermina Susianae ad Septentrionem, et Babyloniae ad Orientem, ad Austrum vero sinui Persico. *Aelam* nominatur in Scripturis in historia Abrahami Gen. XIV, 15, *Aelamitae*, nominantur inter subditos imperii Persarum, 1 Esdr. IV, 9, deque iis loquuntur etiam prophetae, imprimis Isaias (XXII, 6), et Ezechiel (XXXII, 24): in Actis Apostolorum adhuc fit mentio de *Aelamitis* inter advenas, qui Ierosolymae testes fuerunt prodigiosae manifestationis Spiritus S. in die Pentecostes. Notandum tamen est nomen *Aelam* in antiquioribus S. Scripturae libris plerumque accipi pro tota Persia latiori sensu sumpta, deinceps vero ad unam provinciam coarctatum fuisse, quam Graeci exinde *Elymaidem* dixerunt. Et haec quidem de regione Persarum. Ad politicas autem vicissitudines quod attinet Persae suos reges habuisse ferantur inde a tempore Abrahami, qui adversus regem Aelam pugnavit (Gen. XIV); posteriori etiam aetate, Regum series in historia commemoratur qui *Caianidae* dicti sunt. Videtur tamen eorum regnum intra arctiores limites conclusum fuisse, et diu etiam Medorum regibus subiectum ac tributarium. Cyrus Medorum iugum excussit, et paullatim alias quoque regiones sibi adiecit, et everso regno Chaldaeorum novum regnum, seu potius imperium Persarum fundavit, quod praecedentia imperia amplitudine superavit. Inde incepit nova series regum Persarum qui *Achemenidae* vocantur, et in historia tum sacra tum profana celeberrimi sunt. Cyrus (A. C. 539) Hebraeorum captivitati finem imposuit, qua de causa in Scripturis laudatur (Is. XLIV, 28, XLV, 1), Cambyses Cyri successor Aegyptum subiugavit et imperium extendit a Libya usque ad Indias: Darius imperium divisit in Satrapias, Graeciam invasit, et sub eius regno secundum templum Ierosolymae completum est (1 Esdr. VI, 3): Artaxerxes plures in hac dynastia numerantur, quorum primus, qui a Graecis Smerdis magus vocatur, iussit templi aedificationem suspendi (1 Esdr. IV, 24):

sub Artaxerxe Longimano Esdras et Nehemias in Iudaeam venerunt, et Ierosolymae aedificationem ad exitum perduxerunt; ab anno vigesimo regni huius principis iuxta probabiliorum opinionem incipiunt LXX hebdomades Danielis (Dan. IX, 23): Xerxes Magnus in graeca historia notissimus est: a multis creditur idem esse ac Assuerus de quo in Libro Esther, qui certe ad hanc dynastiam referendus est: Darius Codomannus ultimus est in hac serie, cum in eo ab Alexandro Magno devicto finem acceperit imperium Persarum (A. C. 330). Exinde Persia in Provinciam imperii Graecorum redacta est, et, mortuo Alexandro Magno, in ditionem Seleuci Nicatoris eiusque successorum cessit. Haud multo post sub Parthorum dominationem transitit donec post Christianam aeram (A. D. 226) quidam Artaxerxes ab antiquis Persarum regibus ortus, excussa dominatione Parthorum, regnum Persarum restituit, quod vocari solet *secundum imperium Persarum*; altera haec dynastia *Sassanidarum* dicta a Sassan Artaxerxis patre, nota est tum in historia Romani imperii, tum in Ecclesiastica: Sapor Persarum rex qui Valerianum Imperatorem devicit (A. D. 260), et Chosroas II, qui crucem Domini in Persidem abstulit et ab Heraclio debellatus est (A. D. 603–627) ad hanc dynastiam pertinebant. Persia adhuc suos monarchas habet qui Shah vocantur.

VI. *Arabia*, complectens *Amalek*, *Ammon*, *Moab*, *Edom* etc.

Sub nomine *Arabiae* comprehendi solet vastissima regio quae ad Orientem et meridiem Palaestinae protenditur (1). Divisio Arabiae in *Felicem*, *Petraeam*, et *Desertam* ignota fuit Hebraeis, nec in Scripturis invenitur, sed tantum apud Graecos et Latinos scriptores.

Arabia felix est tota peninsula inter sinum Arabicum, seu mare rubrum, et sinum Persicum interiacens. Nomen suum debet fertilitati et peregrinis pretiosisque fructibus imprimis thuris, et odoramentorum quae exinde in Graeciam et in Italiam asportabantur.

(1) Vox Arabia עֲרַבָּה proprie significat regionem *Occidentalem*, quare primo inducta videtur ab Assyriis et Chaldaeis, quibus vere occidentalis erat haec regio: Iudaei potius eam appellabant *Kedem* seu *Oriente* unde Arabes in scripturis vocantur *Bene kedem*, seu *fili Orientis*. Alii tamen nomen derivant ab עֲרַב *miscuit* ob varietatem populorum eam regionem incolentium, vel a עֲרַבָּה *regio campestris, deserta*.

Præcipua provincia erat *Saba* seu regio Sabaeorum: huius princeps urbs erat *Masiaba*: regina Saba quae ad videndum Salomonem Ierosolymam venit tantam aromatum copiam attulisse dicitur quantum antea visa fuerat. 3 Reg. X, 1 seqq.

Arabia Petraea, sic dicta a Petra (hebr. פֶּטֶלֶע) illustri urbe Idumaeorum, comprehendit partem Septentrionalem et Occidentalem Arabiae, una cum peninsula Sinai in sinu Arabico. Dividebatur olim in varias partes a diversis populis inhabitatas, qui in historia sacra frequentissime nominantur, uti sunt Idumaei, Amalecites, Ammonitae, Moabitae, Madianitae etc. *Idumaea* (Edom) iacebat ad Austrum Palaestinae, nomenque suum derivabat ab Esau fratre Iacob, qui *Edom* cognominatus est (Gen. XXV, 30). Urbs Idumaeorum notissima erat *Petra* in prophetis non semel nominata, (Is. XVI, 1, 4 Reg. XIV, 7) cuius ruinae, (templum, theatrum, sepulchra) adhuc cernuntur in loco dicto *Wady Musa*, et descriptae fuerunt a recentibus exploratoribus Seetzen, Burckhardt, Laborde, Linant et aliis. Haec urbs maximam celebritatem adeptam est posterius sub dominatione Nabathaeorum, et in epocha Romana cum metropolis Palaestinae tertiae effecta est: apud ipsos vero Idumaeos nunquam princeps et regia urbs fuit. Itaque urbs vere princeps erat *Bosra*, unde illud Is. LXIII, 1: « Quis est iste qui venit de *Edom*, tinctis vestibus de *Bosra*? » Aliae urbes nominantur a Ieremia in vaticinio contra Idumaeos, Ier. XLIX: item duae maritimae urbes et celebres portus *Aelath*, et *Asiongaber* in sinu aelanitico ad Idumaeam pertinebant. *Bosra* Edom non est confundenda cum alia *Bosra* Moabitarum, quae a Romanis *Bostra* dicebatur: Ieremias utramque nominat, primam in c. XLIX, 13, 22, et alteram in c. XLVIII, 14, ubi de Moabitis loquitur: prioris situs nunc vocatur *Buseireh*, alterius (seu *Bosra* Moab) *Busrah* (Portus). Idumaei quamvis Hebraeorum cognati plerumque eis infensi fuerunt. David eos tributum solvere coegit implens vaticinium de duobus fratribus Esau et Iacob: « Et maior serviet minori » (Gen. XXV, 23). Cum deinceps a Iudaeis defecissent, rex Amasias urbem Petram expugnavit, cepitque, mutato eius nomine in *Sectehel* (4 Reg. XIV, 7). Cum Iudaei a Nabuchodonosor captivi abducti sunt Idumaei inferiorem Iudaeam invaserunt, diuque occuparunt. Ob haec et alia crimina adversus fratres suos a Deo puniti fuerunt secundum Prophetarum vaticinia

Ezech. XXXV, 15: « Sicut gavisus es super haereditatem domus Israel, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi: dissipatus eris mons Seir, et Idumaea omnis: et scient quia Ego Dominus; » et Abdiae I, 18: « Et non erunt reliquiae domus Esau, quia Dominus loquutus est; et haereditabunt ei qui ad Austrum sunt montem Esau, et qui in caespitibus Philisthim. »

Amalek, seu regio *Amalecitarum*, ad Austrum Palaestinae iacebat infra mare mortuum et urbem Cadesbarne. Amalecitas Iudaeos aggressi in eorum itinere versus Chanaan a Iosue profligati fuerunt, deinceps iterum a Gedeone, et tertio a Saule. Post tempora Ezechiae regis nulla amplius mentio de eis fit tamquam distinctae gentis, secundum vaticinium Domini post stragem Amalecitarum editum Ex. XVII, 14: « Dixit autem Dominus ad Moysen: scribe hoc ob monumentum in libro, et trade auribus Iosue: delebo enim memoriam Amalec sub caelo. »

Ammon, seu regio *Ammonitarum*, ita dicta ab Ammon filio Loth, iacebat ad Orientem Palaestinae trans Iordanem. *Rabbath-Ammon* eorum urbs princeps prope rivum Iabok extracta celebritatem quamdam adeptam est postea a Graecis et a Romanis vocata fuit *Philadelphia*. Postquam tribus Ruben et Gad, quae ipsis finitimae erant, in captivitatem abductae sunt Ammonitae eorum regionem occuparunt, verum deinceps cum vicinis gentibus commixti cessarunt distinctum populum constituere.

Moab, seu regio *Moabitarum*, a Moab altero filio Loth nuncupata, sita erat ad Austrum et ad Orientem maris mortui, infra terram Ammon, a qua dividebatur per rivum Arnon. Regio erat olim fertilis, et messibus abundans; praecipua urbs dicta est *Rabbath-Moab*, quae etiam *Ar-Moab* dicebatur (Num. XXI, 15, 28, Deut. II, 9, 18, 29) nunc autem *Robba*. Alia urbs paulo inferius ad austrum erat *Kir Moab* nunc *Kerak*. Has et alias Moabitarum urbes enumerat Isaias in sublimi vaticinio contra Moab Is. XV, 1 seq. et plenius Ieremias XLVIII, 20-25: « Vastata est Moab. Et iudicium venit ad terram campestrum: super *Helon*, et super *Iasa*, et super *Mephaath*, et super *Dibon*, et super *Nabo*, et super domum *Dablathaim*, et super *Cariathaim*, et super *Bethgamul*, et super *Bethmaon*, et super *Cariath*, et super *Bosra*: et super omnes civitates terrae Moab, quae longe, et quae prope sunt. » Postquam

Moabitae subacti fuissent, una cum Ammonitis, a David rege (2 Reg. VIII et XII) eandem fere sortem ac Iudaei eorum fratres experti sunt, scilicet primum a Salmanasar vastati, deinde a Nabuchodonosor in captivitatem abducti, ex Babylonia quoque reversi sunt una cum Iudaeis, et urbes suas ac oppida reaedificaverunt, atque independentes manserunt usque ad epocham Machabaeorum. Nunc regio Moab fere deserta est, et a nomadibus Arabiae populis peregratur secundum Ieremiae prophetiam (XLVIII, 12). In regione Moab, quam *campestris Moab* vocat Scriptura, populus Hebraeorum diu substitit, finita peregrinatione, opportunitatem expectans ut ingredi posset in terram Chanaan (Deut. I, 1-3), ibique Moyses, postquam populum alloquutus fuisset eisque extrema monita dedisset, mortuus est ac sepultus (Deut. XXXIV, 5 et 6).

Madian hebraice מדין *Midian* iacebat ad Orientem Edom, et ad litus maris rubri. Madianitae ab Abrahamo per uxorem Ceturam descendebant: in historia Iosephi nominantur mercatores Madianitae portantes aromata in Aegyptum (Gen. XXXVII, 25-28): cameli, et dromedarii Madian ab antiquis laudantur, et de his mentio occurrit Is. LX, 6: in regione Madian Moyses ex Aegypto profugus quadraginta annos vixit, et Iethro sacerdotis filiam uxorem duxit. Madianitae una cum Moabitis populum Israel primum in peccatum inducere tentarunt, deinceps in servitutem redegerunt, sed a Gedeone insigni victoria debellati, et prostrati ex numero populorum deleti sunt, eorum reliquis cum populo Petrae degentes, commixtis. Hi sunt praecipui populi in Arabia Petraea degentes, Palaestinae finitimi et cum Hebraeis consanguinitate coniuncti. Nunc totam hanc regionem Arabes nomades incolant quos Graeci *Scenitas* appellarunt, nos autem Beduinos dicimus. Hi communiter creduntur posteris Ismaelis Abrahami et Agar filii, et in iis certe vaticinium impletur quod Angelus de Ismaele edidit Gen. XVI, 12: « Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum; et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula. »

Arabia deserta comprehendit totam partem occidentalem et interioriorem Arabiae quae ad Orientem quidem a terra Madian et montibus Galaad pergit usque ad Euphratem, et usque ad Syriam ad Septentrionem. Maior pars vere *deserta* est immensus praebens tra-

ctus volubilis arenae, huc illic tamen fertilibus campis interspersos. Nomades Arabes hanc etiam regionem incolebant, et incolunt, et Turcarum imperio saltem nomine tenus subiacent.

VII. *Aegyptus, terra Gessen, Aethyopia.*

Aegyptus, hebr. מצרים *Mitsraim*, proprie est angusta valis Nili inferioris a secunda cataracta Nili prope Syene (*Assouan*) usque ad mare Mediterraneum, inter gradus 31°, 37° et 23°, 45° latitudinis Borealis: terminatur ad Septentrionem mare mediterraneo, ad Austrum Nubia, ad Orientem Arabia Petraea, et Sinu Arabico, seu mari rubro, ad Occasum Lybia, et maiore Deserto; quamvis de exactis eius limitibus non conveniat inter veteres scriptores. Nomen *Mitsraim*, quo in Scripturis designatur, et etiam hodie ab Orientalibus vocatur (*Mesra, Misra*) (1), est ipsum nomen *Mitsraim* filli Cham, cuius posteri in hac regione sedem fixerunt, quare etiam aliquando vocatur terra *Cham* ארץ חם Antiqui Geographi Aegyptum dividerunt in *superiorem*, et *inferiorem* secundum Nili cursum: *Aegyptus superior*, ab indigenis vocata *Said*, comprehendebat *Thebaidem*, et septem districtus sub nomine *Heptanomis* notos, *Aegyptus inferior* comprehendebat totum Delta Nili una cum *Maracotide* (2). Nilus est unus Aegypti fluvius in historia tum sacra tum profana celebratissimus, a cuius periodicis inundationibus et limosis sedimentis tota regionis fertilitas pendet: percurrit totam Aegyptum ab Austro Septentrionem versus et in Mediterraneum influit per duo ostia, quae ex septem sola supersunt. Celebriores veteris Aegypti urbes erant 1° *Thebae*, quae in Scripturis *No*, vel *No-Amon*, נא אֱמוֹן, a profanis vero *Diospolis magna* dicta est. Haec fuit urbs princeps totius Aegypti su-

(1) In inscriptionibus Hieroglyphicis hoc nomen non occurrit, sed vocatur *Khemi*, vel *Nekhi*, aut *Beki*: in cuneiformibus tamen inscriptionibus apparet nomen *Muzur*, *Muzur* idem ac *Mesra*, *Misraim*.

(2) Alii separant Heptanomidem ab Aegypto Superiore, ita ut sint tres Aegypti partes, 1. *Aegyptus superior* (Thebais, Said). 2. *Aegyptus inferior* (Delta). 3. *Heptanomis*, quasi *media* inter superiorem et inferiorem. Nomen heptanomidis ortum est ex eo quod districtus in quos Aegypti regio dividebatur a Graecis vocarentur *vopos*: erant fere 30, nempe 24 in Aegypto superiore, et fere totidem in Aegypto inferiore: unusquisque *vopos* suam specialem divinitatem habebat, et animal sacrum eius symbolum; specialia etiam signa indicatur in hieroglyphica scriptura.

perioris, sedes regia, a centum portis, et a templorum et monumentorum magnificentia ab antiquis omnibus laudata. Horum ruinae antiquum splendorem adhuc testantur, superant enim amplitudine et soliditate ruinas quarumlibet aliarum urbium antiquarum gentium sive Orientis sive Occidentis. Iacent reliquiae antiquae urbis in utroque litore Nili praecipue tamen in litore orientali, nam occidentalis continebat quasi suburbanam vocatam *Lybicum* complectens sectionem quae dicebatur *Memnonia*, et urbis *Necropolis*: urbis situs, ac dispositio pulchre describitur a propheta Nahum (III, 8 seqq.). Praecipuum monumentum in orientali litore conspicuum est templum *Karnak* incredibilis olim splendoris, et magnitudinis, cui aedificando et orando plures Aegyptiorum reges operam suam ac thesauros contulerunt. Ibi etiam giganteae sphinges, quae longa serie hinc inde collocatae aditum ad templum quasi custodiunt: tum colossi Ptolemaei Evergetis, et Berenices, columnae magna ex parte adhuc stantes, et turris ad pedes 140 erecta. Varia nomina regum in adnexis inscriptionibus leguntur, ut Sethi I, Totmes I, Amnoph III, Ramesses, seu, Ramses III etc.: licet magna pars sculpti operis quo scimus totum monumentum ornatum fuisse interierit, multa tamen adhuc supersunt in exterioribus aulae parietibus quae gesta et victorias Sethi I et Ramesses III, seu Magni (graeci *Sesostrim* vocarunt) repraesentant. Omitimus alia quae inter ruinas Thebarum recenter detecta et a viris doctis descripta et examini subiecta fuerunt (1). Super ruinas Thebarum extant hodie misera quaedam oppida ut *Medinet Abu, Kurneh* et alia.

2° Alia urbs celeberrima fuit *Memphis* super litus sinistrum Nili extracta, quae Thebarum aemula olim exstitit, et a Diodoro siculo dicitur 150 stadiorum circuitum habuisse. Haec creditur fuisse sedes Pharonum aetate Moysi. Ab Arabibus vastata saeculo VII nunc deserta est, et super eius ruinas nonnullas exigua oppida aedificata sunt quorum unum adhuc *Memph* appellatur. 3° *Tanis*, quae in hebraico

(1) Vide brevem horum descriptionem in opere cui titulus: *I monumenti storici Egizi, il Museo e gli scavi di antichità per ordine di S. A. R. il Vicerè Ismail Pascià. Notizia sommaria di Luigi Vassalli Conservatore del Museo Vicereale* ecc. Milano 1867 Cap. X, pag. 103 et seqq. Item Anglicum opus Wilkinson-Murray: *A Handbook for travellers in Egypt*, 5 edition London 1875.

textu *Tsoan* צֹאן dicitur, olim sedes regia fuit, et iuxta nonnullos natalis locus Moysi. Antiquum eius splendorem adhuc testantur rudera septem obeliscorum, et alia quaedam monumenta. 4^a *Alexandria* (quae ab indigenis *Iscanderieh* dicitur) ab Alexandro Magno post subiugatam Aegyptum extracta ad ostia Nili, seu ad extremitatem occidentalem Deltae super angustum terrae tractum inter mare mediterraneum ex una parte, et lacum Moerin ex altera. Haec fuit regia urbs, et totius Aegypti metropolis sub Ptolemaeis Alexandri successoribus, et sub Romanorum dominatione. Eius portus, templa, palatia, musaeum et bibliotheca in omnium ore et admiratione olim fuerunt, eorumque insignes ruinae adhuc extant.

Politicum regimen Aegypti monarchicum fuit. Initia regni in remotissima aetate collocanda sunt, nam viginti A. C. saeculis Aegyptus apparet sub regibus constituta multo iam tempore. Vetusti hi reges communi appellatione *Pharaones* vocabantur usque ad Psammeticum III, qui a Cambyse rege Persarum devictus, et occisus est (A. C. 326). Alii reges qui finita Persarum dominatione post Alexandrum M. in Aegypto regnarunt dicti sunt *Ptolemaei* a Ptolemaeo primo Lago usque ad Ptolemaeum IX et Cleopatram sub quibus Aegyptus in Romani Caesaris dominationem cessit. Celebres sunt dynastiae a Manetone enumeratae veterum Pharaonum, de quarum tamen numero, ordine ac duratione innumerae controversiae existunt, quae etiam post recenter explorata Aegypti monumenta, et perfectas hieroglyphicas inscriptiones dirimi non potuerunt. *Menes* qui ponitur ut primus rex primae dynastiae Menitis a multis creditur esse ipse Mizraim filius Cham: sequentes dynastiae creduntur non omnes successivae, sed plures synchronae, in variis scilicet Aegypti provinciis, secus enim incredibilis prorsus annorum summa exurgeret: omnes tamen nunc admittunt a XVIII et deinceps dynastias vere successivas numerari, et a XXI et deinceps etiam earum durationem satis certo cognosci. In sacris Scripturis saepissime mentio occurrit de Aegypti regibus: Abraham in Aegyptum secedens occasione famis Pharaonem Aegypti adiit, qui Saram eius uxorem nesciens ad se vocavit, re autem comperta illi restituit (Gen. XII, 15-19): Ioseph a fratribus venditus ab alio Pharaone bene habitus est et praefectus totius Aegypti constitutus

(Gen. XLI, 1, 39-41). Sub alio Pharaone (qui Ramesses III esse videtur) Hebraei in Aegypto mirifice aucti dura servitute oppressi sunt, et paulo post duce Moyse ab Aegypto educti sunt, fracta contumacia alterius Pharaonis, qui etiam cum toto exercitu in mari rubro demersus est: haec acciderunt sub finem XVIII dynastiae vel initio XIX: Pharaon Nechao in historia regum Iuda nominatur, Salomon filiam Pharaonis duxit; Sesac (Scescione I dynastiae Bubaetitidis) Ierusalem vastasse narratur 3 Reg. XIV. De Ptolemaeis sermo est in Machabaeorum libris. Quando Christus infans cum Matre et Ioseph in Aegyptum migravit tota regio iam romano imperio parebat. In Actis Apostolorum de urbe Alexandria fit sermo: in disputatione habita cum S. Stephano Alexandrini quidam partem habuerunt, (Act. VI, 9). Apollo Pauli familiaris et laborum socius erat Alexandrinus Act. XVIII, 24, et Alexandrina navi Paulus ex urbe Lystra in Italiam navigavit Act. XXVII, 6. Serius rex Persarum Chosroas II Aegypto potitus est, deinceps Saraceni qui urbem Gairi fundarunt (an. Domini 969), et post Mamlukorum dominationem, denique Turcae sub Selimo I in Aegyptum dominationem extenderunt et adhuc retinent.

Terra *Gessen* (hebraice גֶּשֶׁן *Goschen*) ad Aegyptum pertinebat, sed seorsim nominatur in Scripturis quia a rege Aegypti Hebraeis tradita fuerat, ibique populus Hebraeorum formatus est, et exinde profectus est ut in terram patriarchis promissam migraret. De situ huius regionis non consentiunt inter se geographi et interpretes, quamvis generatim conveniant in ea collocanda in parte orientali Aegypti, quod confirmatur ex 1 Par. VII, 21, ubi dicitur eius terminos versus urbem Gaza se porrexisse, unde fit eam in extrema parte Orientali Aegypti inferioris inter mare mediterraneum, et Arabiam Petraeam exitisse: quare LXX interpretes ad Gen. XLV, 10 eam vocant Gessen Arabiae Γεσην Αραβιας. Terra erat fertilis, et pascuis abundans, ideoque Hebraeorum habitationi, qui gregibus armentisque pascendis operam dabant, aptissima (Gen. XLVII, 6, 11). *Ramesses* (ib. 11) erat urbs ad extremitatem orientalem, unde populus Hebraeorum ab Aegypto fugiens profectus est, et versus *Socoth* iter direxit (Ex. XII, 37), inde vero per *Etham* ad litus maris rubri pervenit (Ex. XIII, 20, XIV, 2) ubi prodigium transitus eiusdem maris accidit.

De Aegyptiorum moribus, cultura, adiunctis pluries mentio occurrit in sacris literis, quae notitiis aliunde haustis et monumentorum testimonio apprime respondent. Nilis tamquam unicum flumen Aegypti saepe nominatur sub nomine *Fluminis* (Gen. XLI, 1) vel etiam ad eius inundationes alluditur, ut Am. VIII, 8: sapientia Aegyptiorum et rerum naturalium peritia saepe innuitur, praesertim in historia Iosephi, Moysis et Aaron: superstitiones quoque in animalibus, vestibus, ritibus passim indicantur in Pentateucho imprimis in Exodo et in Deuteronomio, et quibusdam Moysis institutis occasionem dederunt, ut nempe Hebraei ab usibus illis averterentur. Mos cadavera praeservandi peculiaris fuit Aegyptiis, et in historia mortis Iacobi Patriarchae commemoratur (Gen. L, 2 seqq.) ubi iussu filii Ioseph secundum artem Aegyptiorum cadaver conditum aromatibus dicitur, quod deinceps in ipsius Iosephi cadavere factum est (Gen. L, 25). Mos etiam pyramides extruendi proprius Aegyptiorum fuisse videtur, quarum multae immensae molis adhuc stantes conspiciuntur: erant autem plerumque sepulchra regum, quorum cadavera in interiore parte pyramidis deponabantur: aliae astronomicis vel astrologicis signis ornatae erant, cum aliunde notum sit totam mythologiam aegyptiacam in astronomicis symbolis versari. Peculiaris character monumentorum Aegypti est gigantesca eorum moles: ita quaedam pyramides quae in confinio Aegypti inferioris attolluntur (imprimis prope Gizeh) habent altitudinem verticalem pedum 450 et obliquam pedum 764: staturae etiam saepe altitudine superant colossos aliarum gentium ita ut figurae sedentes usque ad altitudinem pedum 69 perveniant, sphynxes quoque seu figurae animalium muliebri capite et pectore, immensae molis extant, ut praecipua illa quae prope maximam pyramidem adhuc conspicitur quae longitudinem habet pedum 125 et altitudinem 60. Sculpturae usus maximus erat, ita ut omnia pene aedificia sculptis imaginibus ornata essent, ex quibus multa etiam nobis innotuerunt de usibus domesticis et sacris, de mechanicis artibus aliisque Aegyptiorum institutis. Fatendum tamen est Aegyptios in sculptura ac pictura nunquam ne procul quidem ad Graecorum et Romanorum artium perfectionem accessisse ut monumenta inspicientibus appareat.

Aethyopia, quae in Scriptura hebraica dicitur *Cusch*, vel terra

Cusch ex huius nominis filio Cham, comprehendebat tum hodiernam Aethyopiam seu Abyssiniam, tum etiam Nubiam, seu regionem in valle Nili infra Aegyptum: alias tamen Aethyopia vel Cusch diversas regiones designant minus proprie, ut Indias, Arabiam meridionalem et fortasse ipsam Babyloniam: nunc tamen in sensu magis proprio illam consideramus. *Aethyopia* stricte sumpta a Romanis regio *Meroe* vocabatur: haec regio ab aquis Nili in varios rivos seu canales deductis irrigatur, unde intelligitur cur prophetae plurali numero *flumina* Aethyopiae commemorent (Is. XVIII, 1, Soph. III, 40). Regio *Ludim* (Is. LXVI, 19), et regio *Chub*, (Ezech. XXX, 5) a nonnullis creduntur districtus Aethyopiae vel Nubiae, ita etiam populus *Sukkim* creditur fuisse tribus Aethyopum sedem habens ad litora maris rubri. Aethyopes ab Isaia (XLV, 14) vocantur viri sublimes, seu statura proceri, quod de nonnullis tribubus illorum gentium testantur etiam profani scriptores: eos inter populos foederatos Aegyptiorum Scriptura connumerat 2 Par. XII, 3. Aetate Apostolorum nominatur regina Aethyopiae Candace, cuius eunuchus a Philippo evangelizatus et baptizatus est (Act. VIII). Regio quam nunc Nubiam proprie dicimus, in valle superiore Nili infra Aegyptum, monumentis abundat, quae eiusdem fere indolis sunt ac monumenta Aegyptiaca, scilicet templa, colossi, hieroglyphicae inscriptiones aliaeque huiusmodi, eoque a superius laudatis auctoribus Rosellini, Lepsius et aliis descripta fuerunt una cum monumentis Aegypti.

ARTICULUS III.

DE PALESTINA ET PRIMUM DE EIUS GEOGRAPHIA PHYSICA

Palestina, seu terra populi Hebraeorum, iacet inter gradus 31°, et 33° 30' latid. septent. et gradus 32°–34° long. orient. iuxta meridianum Parisiorum. Confinis est ad septentrionem Phoeniciae ac Syriae, ad Orientem Arabiae desertae, ad meridiem Arabiae Petraeae, et ad Occidentem mari mediterraneo. Limites tamen non semper iisdem fuerunt, sed praesertim ad orientem plus minus porrecti pro varia aetate, ita ut sub regno Davidis et Salomonis usque ad Euphratem pertingerent, et ad austrum quoque orienta-